





9022

1773, 31.

QVAESTIO
 IVRIS CONTROVERSI
 QVANTVM
 VALEAT PACTVM
 VT
 DOS REMANEAT APVD
 MARITVM

QVAM
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
 PRAESIDE
 D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
 PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
 ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS
 SOCIO
 IN AVDITORIO PETRINO
 DIE XX MART. ANNO MDCCCLXXIII
 DEFENDET

GOTTLIEB AVGVSTVS SEYFFART
 SCHWEICKERSHAYN. MISNIC.

LIPSIAE
 EX OFFICINA LANGENHEMIA.



UNIVERSITÄT
HALLÉ

V. ALBERT PAULI

DR. THEOLOG. MAG.

HALLÉ

UNIVERSITÄT

D. THEOLOG. MAG.

IN THEOLOG.

GOTTFR.



Q V A N T V M
V A L E A T P A C T V M
V T
D O S R E M A N E A T A P V D
M A R I T V M.



§. I.

icut antiquis temporibus dotes Romanis visae sunt necessariae, quod per eas, tanquam per pecuniam coemtionalem sibi diuina humanaque iura in mariti familiam conuentae in manum mariti acquirebant; ita posteriori aetate hanc necessitatem soluendae dotis retinuerunt, cum sine conuentione in manum mariti matrimonia celebrarentur, quo maritus onera matrimonii ferret. Propterea etiam PAVLVS in *L. 57. §. 1. ff. de iur. dot.* regulam constituit: *Ibi dos esse debet, ubi onera matrimonii sunt.* Hinc Romanis ea improbabantur pacta, per quae dotis causa deterior reddebatur, et sic indotata vxor fiebat.



bat. Exemplum habet idem PAVLVS in *L. 16. π. de pactis dotal.* Ait: *Ut autem longiore die solvatur dos, conuenire non potest, non magis, quam ne omnino reddatur.* Nec maioris momenti videbantur ea pacta, quae successionem in vicem hereditatis in dote inita erant. Pater hoc ex Rescripto DIOCLETIANI et MAXIMIANI AA. ad Claudium quendam dato in *L. 5. C. de Pact. conu.* Verba sunt: *Cum adfirmes dotali instrumento pactum interpositum esse vice testamenti, ut post mortem mulieris bona ad te pertinerent, quae dotis titulo tibi non sunt obligata: intelligis, nulla te actione posse conuenire heredes seu successores eius, ut tibi restituantur, quae nullo modo debentur.* Neque analogiae legum haec contraria sunt, cum romani pacta successoria in totum improbant ad acquirenda hereditatis iura.

§. II.

Sed quid de eo dicamus pacto: *ut dos remaneat apud maritum.* An licitum, an illicitum? Nonne omnino videtur hoc pacto effici, ut maritus tanquam heres succedat in dote, et sic ex pacto heres fiat. Pronuntiemus ergo, esse pactum illicitum ex eo, quod iure successoria prohibita sint pacta. Sed appage ita litrem decidas: esset enim haec causae decisio legum argumentis contraria. Distinctius itaque ex Romano iure haec quaestio diiudicanda. Vix autem omne pactum: *ut dos remaneat apud maritum*, vtile erit. Neque vero dici potest, omne pactum huius argumenti inutile fore.

§. III.

Inutilis pacti speciem exhibet VLPIANVS in *L. 2. π. de pact. dotal.* Ait: *Si conuenierit, ut quoquo modo dissolutum sit matrimonium liberis interuenientibus, DOS APVD VIRVM remaneret.* Papinianus Iuniano Praetori respondit: *morte mariti finito matrimonio, neque conuenisse videri, dotem remanere; et, si conuenisset, non esse seruandum pactum contra dotem, cum mariti mortalitas interuenit.* Causa, cur inutile pronunciauerit Papinianus pactum,

vt



vt dos remaneat apud virum, in verbis: *contra dotem* quaerenda. Quod si enim apud maritum ex pacto dos remaneret, cum mortalitas mariti interuenit superflite coniuge, dos non apud maritum remaneret, sed apud heredes ipsius, quo ipso efficere-
tur, vt indotata fieret vxor, in qua specie pactum nunquam probari poterat; incideret itaque in eam speciem, quam PAVLVS *c. L. 16.* obligatoriam esse negauerat, scil. *ne omnino Dos petatur.* Consequimur itaque pactum inutile fore, si indotatam efficiat vxorem et doti contrarium sit. Quapropter, si hoc interposito pacto maritus propter adulterium ab vxore laesa separetur, inutile erit pactum, vt apud maritum dos remaneat, quippe non tantum maritus premium adeo delicti ferret, cum poenam promeritus sit, sed et ipsa vxor sine culpa, cum laesa sit, indotata efficeretur, in quem effectum pacto vis esse nequit.

§. IV.

Contra si vxoris causa in dote deterior non redditur, non est dubium, quin pacto, vt dos apud virum remaneat, vis esse possit. Exemplum habet PAVLVS in *L. 12. pr. π. de pact. dotat.* Si pater dotem dederit, et pactus sit, et mortua in matrimonio filia dos apud virum remaneat, puto, pactum seruandum, etiam si liberi non interueniant. Facile patet, hic de dote profectitia agi, quae soluto matrimonio ad patrem reuersura esset; hoc itaque interueniente pacto non tantum pater suo repetendae dotis iuri renunciat, ita paciscendo, vt dos apud virum remaneat, sed cum de rebus suis disponendi facultatem habeat, hanc marito donasse videtur quantitatem, quare si non obstante pacto pater dotem repetere veller, pacti exceptione submouendus videtur. Neque quicquam intererit, an dos in quantitate, aut re mobili, an in immobili consistat. Satis est, eum pactum esse, cui soluto matrimonio dos restituenda. Quae si de profectitia illa dote filia tantum pacta sit, non consentiente patre, filia vero mortua, pater, si profectitiam dotem repetat, pacti exceptione haud submouebitur.



tur. Contra si ipsa vxor dotem marito dederit interposito pacto, vt apud virum remaneat, dubium non est, quin tunc, si heres defunctae vxoris agat, exceptione pacti remoueat. At quid? si aduentitia dos sit, et is, qui dederit pactus sit, vt mortua vxore apud maritum remaneat, cum, qui dotem dat suae liberalitati modum praescribere possit, quam seruari velit, neque ipse reperere possit, nisi de reddenda dote stipulatus sit, certum est, pactum hoc vtile fore. Et in his thematibus eo minus dubitandum videtur, quo certius est, coniugem, cum mortua sit, indotatam fieri non posse, vt ex hoc capite pactum illud impugnari nequeat.

§. V.

Aliam speciem tractat CALLISTRATVS in *L. 48. π. Solut. matr. dos quemadm.* scilicet si liberorum causa haec stipulatio de dote apud maritum remansura. Scribit: *si dotali instrumento ita stipulatio interposita sit, vt liberorum nomine dos apud maritum resideat, nepotum quoque nomine dos retinebitur.* Non tantum hoc caput pacti illius vtilitatem confirmat, sed qui sub liberis comprehendantur, exhibet, cuius capitis continuatio continetur in *L. 220. π. de verb. sign.* ex eodem libro II. quaestionum Callistrati deprompta. Et praeterea pacti vim defendunt amplius DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS rescribentes Rufo cuidam in *L. 6. c. de pact. conuent.* Verba rescripti sunt: *Si conuenit, vt in matrimonio vxore defuncta dos penes maritum remaneat: profectitiae dotis repetitionem huiusmodi pactum inhibuisse, explorati iuris est: cum deteriore causam dotis, in quem casum soli patri repetitio competit, pacto fieri auctoritate iuris saepissime sit responsum.* Ex his ergo manifesto apparet, quibus speciebus pactum, vt dos remaneat apud maritum, vtile sit, quibus contra inutile videatur.

§. VI.

Antequam vero a Romano iure transeamus ad ius patrium, et de huius iuris vsu quaedam dicamus, adhuc aliqua monen-





monenda videbuntur. Sicuti enim antiquiora iura, quoties fieri ratio postulat, attemperanda sunt legibus, quae postea latae sunt, ita duo praecipue circa hoc pactum obseruanda. Cum enim pactum, vt dos mortua vxore maneat apud maritum, maxime cum liberi non extent, inuoluat donationem, non vero hereditatem ob successoria pacta eo iure prohibita, quaestioni datur locus, an valeat, si dos superet quantitatem quingentorum solidorum, si iudicialiter insinuata non sit. Et putarem huic pacto ex iure Iustiniano vim tunc esse non posse, nisi, si eam excedat quingentorum solidorum summam, insinuatio iudici facta sit. Alterum, quod quaestioni causam dat, in diuersitate successionis, quae iure Digestorum obseruabatur, et quae dein Nouellis Iustiniani inualuit, quaerendum est. Nam cum Imperator liberis in bonis matris defunctae legitimam portionem concessit, quae pandectarum legibus statuta non erat, facile pater; ita pactum valere posse, ne inofficiosa sit illa donatio dotis per pactum, vt apud maritum remaneat dos. Valebit itaque, si ex reliquis matris bonis puta paraphernis salua erit legitima, vel si iuste exheredari possunt liberi a matre, vel si plane nulli adsunt; haud vero valebit, si fraus sit legitimae liberis a matre relinquendae. Iam ad patria.

§. VII.

Neque de antiquitate pactorum nuptialium antiquorum nostrorum popularium, neque de argumentis, quae in his patris continebantur, multa dicam: dicta iam satis haec sunt. Videamus, quid patriis moribus conueniat. Pacisci posse coniuges, vt dos maneat apud maritum, si vxor praemoriatur, moribus populorum Germaniae, a quo tempore dotium causas receperunt, non aduersatur. Cum enim pactis nuptialibus adeo sibi successiones inuicem promittere possunt coniuges, haud enim populi nostri improbabant pacta successoria: quid impedit, quominus vxor cum marito paciscatur de retinenda dote





dote. Sed quid opus hoc pacto, si in mobilibus consistit dos, in quibus maritus ex legibus patriis heres esse solet? Erit ergo tantum huic pacto effectus, si immobile in dotem datum sit. Cum enim illud ad maritum non pertinet mortua coniuge, ipsa vero de rebus suis disponendi facultatem habet, sicut testamento marito relinquere non prohibetur, quidni et pactis illud marito relinquat. Neque est, vt de diuersitate illa solliciti simus, an pacta illa in *vim contractus*, an *ultimae voluntatis* inita sint, in vtrisque enim fieri posset, vt paciscantur inter se de dote, vt apud maritum maneat. Interea optandum sane esset, vt, quam interpretum patriarum legum et morum ignorantia olim ex applicatione distinctionis ex iure romano petita donationis, quae fit vel inter viuos vel mortis causa, inuenit diuisionem, Lex publica approbavit *CONST. XLIII. P. II.* demum restituta antiquorum temporum iurisprudencia patria, vox maiestatis tolleret. Reprobant enim eam omnes, qui in iuribus patriis recte sentiunt. Quidquid vero sit, aliud moneandum adhuc videtur. Concedimus valere pactum, vt dos maneat apud maritum, posse illud in dotalibus promitti pactis: at sicuti antiquis maioribus sancta erat liberorum successio, quod innuit *Kinder zeugen bricht Ehestiftung*, ita in hac promissione simul eo respiciendum maxime erit, ne per illud pactum liberi in sua portione legitima laedantur, quam aequae ex romano iure recepimus. Valebit ergo, si salua sit liberis ea portio. At si fundum in dotem dederit marito vxor, nullaque praeter ea alia bona habeat, praeterquam quae speciali iure debentur, qualia sunt *Geradica*, et adsint liberi, quibus ex bonis maternis debetur legitima, effectu carebit pactio illa, vt dos maneat apud maritum, nisi simul in illo pacto cautum sit, qualiter liberis satisfaciendum sit legitimam petituris ex hereditate materna.

ULB Halle
004 758 501

3



56





9022

1773, 31.



QVAESTIO
 IVRIS CONTROVERSI
 QVANTVM
 VALEAT PACTVM
 VT
 DOS REMANEAT APVD
 MARITVM
 QVAM
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
 PRAESIDE
 D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
 PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
 ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS
 SOCIO
 IN AVDITORIO PETRINO
 DIE XX MART. ANNO MDCCCLXXIII
 DEFENDET
 GOTTLIEB AVGVSTVS SEYFFART
 SCHWEICKERSHAYN, MISNIC.

LIPSIAE
 EX OFFICINA LANGENHEMIA.

